

præcedentis semper quærendum sit in linea recta superiori et illud diei subsequentis in obliqua inferiori. 3^o Quod dicitur in tabella concurrentiæ de primo, intelligitur de officio in linea recta superiori notato; et quod dicitur de secundo, intelligitur de officio in linea obliqua notato. 4^o In aliquibus quadrangulis non apponitur numerus, sed O, vel quia nullus occursus aut concursus esse potest, vel quia in propriis locis breviarii notatur, quid sit agendum, vel quia casus ex rubricis generalibus est determinandus, ut in concursu patroni seu tituli cum duplici 1 cl. 5^o Hæ tabellæ non ita universales sunt, ut omnes casus comprehendant: quapropter bene notandæ sunt exceptiones, quæ utrique tabellæ subjiciuntur, pro quibus ipsæ tabellæ usui esse nequeunt.

Titulus XI.

DE CONCURRENTIA OFFICII.

Rub. *Concurrentia Officii attendenda est semper in secundis Vesperis, quomodo sit ordinandum Officium cum sequenti die. Itaque cum dicitur Officium aliquod cum alio concurrere; intelligitur de præcedenti in secundis Vesperis cum sequenti in primis Vesperis.*

2. *Duplici ergo in secundis Vesperis concurrente cum alio sequenti Duplici in primis, si utraque sint ejusdem solemnitate, regulariter a Capitulo fit de sequenti cum commemoratione præcedentis, nisi aliter in propriis locis annotetur. Si vero non sint ejusdem solemnitate, servetur differentia in Rubrica de Commemorationibus, et Translatione Festorum assignata: ut scilicet Festa majora habeant primas et secundas Vesperas integras, cum commemoratione minorum, quando de eis fieri debet. Si autem post aliquod Festum ex iis, quæ in*

secundo ordine posita sunt in Rubrica de Commemorationibus, sequatur immediate aliud ex solemnibus majoribus, Vesperæ erunt de sequenti cum commemoratione præcedentis. Inter Festa æqualis solemnitate servetur hic ordo, ut Festa Domini præferantur omnibus aliis, et habeant utrasque Vesperas integras; sicuti Festa beatæ Mariæ, Festis Sanctorum: item Festa Angelorum, sancti Joseph sponsi beatæ Mariæ Virginis, et Apostolorum, cæteris aliis; et Festa illorum Sanctorum, qui in propriis locis vel Ecclesiis solemniter celebrantur, aliis in Calendario descriptis.

3. *Duplici vero concurrente cum Festo Semiduplici, cum Dominica, cum die infra Octavam, cum Festo Simplici, et cum Officio beatæ Mariæ in Sabbato, omnia in secundis Vesperis de Duplici cum commemoratione illorum; nisi illud Duplex fuerit de iis, quæ excipiuntur in Rubrica de Commemorationibus, in quibus aliquæ commemorationes omittuntur. Duplici etiam, et quocumque Officio novem Lectionum concurrente cum Feria vel potius sequente Feria, omnia de Duplici, et nihil de Feria sequenti. Sed si Festum celebretur in Adventu et Quadragesima, fit semper commemoratio de Feria, ut infra dicitur. Idem dicendum de Festis Simplicibus venientibus cum sequenti Festo novem Lectionum, de quibus etiam commemoratio fit, non ratione concursus, sed quia eodem die occurrunt, ut dictum est in Rubrica de Commemorationibus.*

4. *Semiduplici Festo, Dominica et die infra Octavam concurrentibus cum sequenti Duplici, omnia de Duplici cum commemoratione illorum, nisi Duplex fuerit ex numero majorum, quæ supra in Rubrica de Commemorationibus numerata sunt, in quibus nulla fit commemoratio præcedentis. Semiduplici Festo concurrente cum sequenti alio semiduplici, cum Dominica, vel cum die infra Octavam, a Capitulo fit de sequenti, et commemoratio præcedentis, nisi aliter signetur. Semiduplici autem concurrente cum sequenti Festo Simplici, vel cum Officio*

beatæ Mariæ in Sabbato, omnia de Semiduplici, cum commemoratione sequentis.

5. Dominica concurrente cum sequenti Festo semiduplici, et cum die infra Octavam, vel cum Festo Simplici, omnia de Dominica cum commemoratione sequentis.

6. Die infra Octavam concurrente cum sequenti Dominica, vel Semiduplici, a Capitulo fit de sequenti, cum commemoratione Octavæ. Dies infra Octavam cum Simplici proprie non habet concursum, quia in sequenti die infra Octavam non fit de Simplici, nisi commemoratio, quæ et eadem ratione in præcedenti die infra Octavam fieri debet.

7. Die Octava concurrente cum alia die Octava, a Capitulo fit de sequenti, cum commemoratione præcedentis, excepta Octava Corporis Christi concurrente cum Octava sancti Joannis Baptistæ, in qua de sequenti fit tantum commemoratio, et quando aliter in propriis locis notatur. Die Octava concurrente cum sequenti Duplici minori, etiam translato, a Capitulo fit de sequenti, cum commemoratione Octavæ (exceptis diebus Octavis Festivitatibus beatæ Mariæ Virginis, etiam particularibus alicujus Religionis, in quibus de sequenti fit tantum commemoratio). Concurrente vero cum sequenti Duplici majori, etiam translato, totum Officium fit de sequenti cum commemoratione Octavæ, excepta die Octava Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis et Corporis Christi, in quibus de sequenti fit tantum commemoratio. Si autem sequens Festum etiam translatum, fuerit ex solemnioribus supra enumeratis in Rubrica de Commemorationibus, in secundo ordine numero 6, totum Officium fit de sequenti cum commemoratione Octavæ.

8. Simplex cum alio non potest concurrere in secundis Vesperis (licet cum ipso possit esse concursus in primis Vesperis), quia non habet secundas Vesperas, sed ejus Officium terminatur ad Nonam, et deinceps nihil fit de eo, nec commemoratio. Si sequatur aliud Simplex. Psalmi erunt de Feria occurrente in Psalterio ad Ves-

peras, et a Capitulo fit de sequenti Simplici sine ulla commemoratione præcedentis. Si sequatur Officium novem Lectionum, Vesperæ totæ erunt de eo sine ulla similiter commemoratione Simplicis præcedentis. Si nullum Festum sequatur, subintrat Officium de Tempore, et Vesperæ totæ erunt de Feria.

9. Feria non potest concurrere cum alio Officio in secundis Vesperis, neque cum ipsa potest esse concursus in primis Vesperis: quia ejus Officium incipit et desinit, ubi desinit et incipit quodcumque aliud Officium. Quamvis proprie (si ei dandum est principium) sequente Feria post aliam Feriam, ejus Officium incipiat a Matutino, et terminetur sequente alia Feria ad Completorium; et ideo si Feria sequatur aliam Feriam, in Vesperis præcedentis Feriæ nihil fit de sequenti, quoad ea quæ in sequenti Feria sunt propria. Verbi gratia, si in Vesperis Feriæ tertiæ ante Feriam quartam Cinerum fiat de Feria, dicitur oratio Dominicæ præcedentis, non autem ea quæ est propria in sequenti Feria quarta Cinerum; nec ante Orationem dicuntur Preces, quæ dicendæ sunt in dicta Feria quarta Cinerum. Quod etiam fit, quando Feria per annum præcedit Feriam Quatuor Temporum, vel Vigiliarum. Hac etiam ratione superius dictum est in concurrentia aliorum Officiorum, cum Feria nullum Officium concurrere, et nihil fieri de Feria præcedenti, adveniente alio Officio. Si autem de ea aliquando fieri debeat commemoratio in Vesperis, non fit ratione concursus, sed quia eo die, quo Officium Feriarum Adventus et Quadragesimæ impeditur, illarum commemoratio ratione temporis ex præcepto Ecclesiæ prætermitti non debet.

10. Cum vero occurrit, ut Festum simplex veniat in Feria quarta et sexta Quatuor Temporum, in Feria quarta Cinerum, et in Vigiliis quæ jejunantur, Vesperæ antecedentes (nisi ea die celebratum sit Festum novem Lectionum) erunt de Feria communi per annum, non autem de sequenti, ut dictum est, cum commemoratione

Festi simplicis in sequenti Feria occurrentis. Quod ideo non fit, quia sequens Feria habeat primas Vesperas; sed quia cum Festum simplex in sequenti die non habeat Officium propter Feriam prædictam in eo occurrentem, nec etiam convenit illud habere primas Vesperas in præcedenti die. Et eadem ratione, si Festum simplex occurrat Feria quinta in Cœna Domini, in qua de eo non debet fieri commemoratio, nulla etiam fiet commemoratio in Vesperis Feriæ quartæ præcedentis.

303. Concurrentia habetur, quando unum officium die præcedente, et alterum die sequente celebratur, quorum tamen utrumque vespere intermediis exigit, et jus ad illas habet. Concurrentia igitur vespere tantum respicit, et solummodo datur inter officia, quæ jus ad vespere habent. Ejus effectus est, ut vespere vel integræ fiant de alterutro concurrentium, vel inter utrumque dimidentur, ita ut psalmi dicantur de præcedente, et a capitulo cum reliquis fiat de sequente.

Notari potest, Ecclesiam ab exemplo Judæorum, qui ex præcepto legis sua festa celebrabant a vespera usque ad vesperam (1), officia festiva celebrare cum primis et secundis vespere. Hinc etiam festum magis vel minus solemne dicitur, quo plus minusve habet de vespere, et præsertim de primis vespere, quæ sunt nobiliores, et olim etiam cum majori solemnitate et frequentiori populi concursu celebratæ fuerunt (2), atque hoc tempore plura adhuc privilegia habent, quam secundæ vespere: plures enim commemorationes admittuntur in secundis, quam in primis vespere.

304. Quæ officia cum aliis concurrentiam habent?

R. 1. Festa seu officia duplicia et semiduplicia, dies octava, æ dominica in utrisque vespere.

2. Dies infra octavam in secundis vespere, sed non in pri-

(1) Lev. 23, 32.

(2) Granelas Comm. hist. lib. 1, c. 38.

mis, quas non habet. Festo semiduplici concurrente cum die infra octavam, a capitulo quidem fit de die infra octavam, sed omnia dicuntur ut in secundis vespere festi. Si hac et sequenti die officium fiat de die infra octavam, vespere integræ fiunt de præsentis officio et nihil de sequenti, cujus officium tantum a matutino incipit.

3. Festum simplex non habet concurrentiam in secundis, sed tantum in primis vespere.

4. Feria proprie concurrentiam non habet, quia ejus officium incipit et desinit, ubi desinit et incipit quodcumque aliud officium. Si feria sequatur aliam feriam, ita ut feria totum officium habeat; officium feriæ sequentis tantum incipit a matutino, ita ut in vespere feriæ præcedentis nihil fiat de sequenti. Præterea de feriis quatuor temporum mensis Septembris, de feria secunda rogationum, et de vigiliis nihil fit in primis, neque in secundis vespere, sed tantum in laudibus, dum de festo fit officium; et si de feria fiat officium, vespere dicuntur de feria per annum. De feriis adventus et quadragesimæ quidem fit commemoratio in vespere, non autem ratione concurrentiæ sed occurrentiæ.

REGULÆ GENERALES CONCURRENTIÆ.

305. *Regula 1^a.* In inæqualitate ritus vespere integræ regulariter fieri debent de eo, quod est majoris ritus cum commemoratione illius, quod est ritus inferioris, licet hoc quod est ritus inferioris, sit etiam festum Domini aut B. Mariæ Virginis.

Dicitur *regulariter* propter sequentes exceptiones: scilicet in primis vespere diei octavæ ascensionis et Corporis Christi, item in secundis vespere diei octavæ epiphaniæ, paschæ et ascensionis Domini Nostri vespere integræ fiunt de iisdem octavis, quamvis concurrat duplex etiam majus, nisi illud duplex sit 1 aut 2 cl. in quo casu de festo fit officium

cum commemoratione de octava (1). Similiter dies octava ss. Trinitatis, ubi cum octava celebratur, habet utrasque vespervas integras in concursu duplicis minoris et majoris (2), non tamen in concursu duplicis 1 et 2 cl. Quoad alias dies octavas festorum Domini, quæ in quibusdam locis celebrantur, ut ss. Redemptoris, s. Crucis, etc. certum est, illas habere integras vespervas in concursu duplicis minoris (3), et etiam verosimiliter in concursu duplicis majoris (4). Festum ss. Trinitatis habet quidem integras vespervas in concursu duplicis 2 cl., sed in concursu duplicis 1 cl. habet tantum commemorationem (5). Dies autem octava dedicationis concurrens cum duplici minori, dimidiat vespervas (6).

Regula 2^a. In paritate ritus sed in inæqualitate solemnitatis, vespervæ integræ fieri debent de festo solemniori cum commemoratione alterius. Si ergo festum primarium concurrat cum festo secundario ejusdem ritus, fiunt vespervæ integræ de festo primario cum commemoratione festi secundarii (7).

Quod si utrumque festum sit ejusdem ritus, et æque primarium vel secundarium, prævalent vespervæ festi dignioris. Festa digniora sunt :

1^o Festa Domini, id est, ss. Trinitatis, Christi Domini, S. Crucis (8), quæ concurrentia cum quibuscumque aliis festis ejusdem ritus et solemnitatis, utrasque vespervas integras habent. Item dominica, quæ est dies Domini, concurrens cum festo semiduplici et die infra octavam, secundas vespervas integras habet, sed primas tantum a capitulo, quia ejus officium a capitulo proprie tantum incipit.

2^o Festa B. M. V. quæ concurrentia cum quibusvis festis

(1) Rub. supra n. 7 et post tabellam concurrentiæ.

(2) S. R. C. 13 Sept. 1704, n. 3557-3706.

(3) S. R. C. 7 Ap. 1832, n. 4535-4684, 2; 16 Feb. 1856, n. 5223, 3, q. 4.

(4) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 4520-4669, 46, et cit. 7 Ap. 1832.

(5) S. R. C. 26 Jan. 1793, n. 4299-4448, 10.

(6) S. R. C. 12 Ap. 1823, n. 4444-4594, V.

(7) Decretum gen. 2 Julii 1893.

(8) S. R. C. 24 Nov. 1708, n. 3646-3795, 1 et 2.

angelorum et sanctorum ejusdem ritus et solemnitatis integras vespervas habent (1).

3^o Festa ss. angelorum, quæ in concursu festorum sanctorum ejusdem ritus et solemnitatis integras vespervas habent, sive festa sint ss. angelorum custodum, sive tantum s. Michaelis, Gabrielis aut Raphaelis, sive celebrentur sub ritu duplici minori aut majori sive sub altiori ritu (2).

4^o Festa s. Joannis Baptistæ et s. Joseph sponsi B. M. V. quæ in concursu festorum apostolorum et aliorum sanctorum ejusdem ritus integras vespervas habent (3).

5^o Festa ss. apostolorum et evangelistarum integras vespervas habent in concursu aliorum sanctorum ejusdem ritus et solemnitatis (4). Festa autem apostolorum et evangelistarum inter se paria reputantur, ut n. 273 dictum est, adeoque in concurrentia vespervas dividunt.

6^o Festa illorum sanctorum, qui in propriis locis vel ecclesiis solemniter celebrantur, integras vespervas habent in concursu aliorum ejusdem ritus et dignitatis seu solemnitatis. Quæ festa ita solemniter celebrari censenda sint, dicitur infra n. 306.

Hæc præferentia dignitatis etiam attenditur in diebus octavis festorum Domini, ut dictum est supra post regulam primam : et similiter dies octavæ festivitatum B. M. V. etiam particularium alicujus religionis, concurrentes cum duplici minori, integras vespervas habent; sed concurrentes cum duplici majori, habent tantum commemorationem in vespervis, quæ integræ fiunt de duplici majori (5). Addendum

(1) Rub. hoc tit. XI, n. 2, et dec. 30 Jul. 1689, n. 3047-3196, 2; 2 Julii 1893.

(2) Rub. hoc tit. XI, n. 2, et dec. 25 Sept. 1688, n. 3023-3172, 4; 12 Jul. 1704, n. 3544-3693; 18 Sept. 1706, n. 3602-3751, 6; 22 Aug. 1711, n. 3693-3842; 16 Sept. 1730, n. 3841-3991, 5. His contraria decreta anteriora abrogantur.

(3) Rub. hoc tit. XI, n. 2; S. R. C. 12 Ap. 1823, n. 4444-4594, VI et VII; Merati sect. 3, c. 9, n. 3.

(4) Rub. hoc tit. XI, n. 2; S. R. C. 11 Julii 1857, n. 5248, 1, 2 Julii 1893.

(5) Rub. hoc tit. XI, n. 7; S. R. C. 11 Aug. 1691, n. 3095-3244, 1; 4 Sept. 1745, n. 4026-4175, 3.

hic est, præfatas octavas festorum Domini et B. M. V. integras etiam vespervas habere in concursu cujuslibet alterius diei octavæ, quia dies octava non est magis privilegiata, quam festum duplex, in cujus concursu prædictæ octavæ integras vespervas habent: rubrica hoc tit. XI, n. 7. quidem tantum exprimit diem octavam Corporis Christi, concurrentem cum die octava s. Joannis Baptistæ, sed ad hoc dici potest, rubricam tantum exprimere diem octavam Corporis Christi, quia hæ duæ octavæ Corporis Christi et s. Joannis B. in calendario Ecclesiæ universalis tantum concurrere possunt.

Hæc tamen præferentia dignitatis non extenditur ad diem octavam dedicationis, ss. angelorum, Joannis Baptistæ, Joseph, apostolorum et evangelistarum, aut patronorum, ita ut in concurrentia cum duplici minori vel cum alia die octava, vespervæ sint dimidiandæ (1). Excipitur sola dies octava s. Joannis, quæ in concurrentia diei octavæ ss. Innocentium integras vespervas habet, ex particulari rubrica posita in ejus die octava.

Item neque extenditur ad commemorationem ss. Sacramenti et conceptionis B. M. V. neque ad alia officia votiva, ita ut concurrentia cum officiis ejusdem ritus vespervas dividant, sive sint duplicia sive semiduplicia (2).

Inter reliquos sanctos post apostolos et evangelistas nullus ordo dignitatis attenditur, eorumque festa in paritate ritus æqualia reputantur (3). Unde

Regula 3^a. In paritate ritus et dignitatis seu solemnitate regulariter a capitulo fit de sequenti cum commemoratione præcedentis. Hoc certum est, si utrumque officium sit semiduplex vel duplex minus; et etiam certum videtur, si utrumque

(1) S. R. C. 7 Sept. 1680, n. 2779-2928, 12; 16 Feb. 1781, n. 4252-4401, 20; 12 Ap. 1823, n. 4444-4594, V.

(2) S. R. C. 27 Sept. 1698, n. 3348-3497, 5; 1 Jul. 1747, n. 4042-4191; 12 Ap. 1823, n. 4444-4594, 6; 27 Junii 1868, n. 5401, III.

(3) S. R. C. 20 Jul. 1686, n. 2973-3122, et 14 dec. 1709, n. 3670-3819, 1; 19 Dec. 1829, n. 4502-4651, 4.

sit duplex majus, vel etiam 2 et 1 cl. (1). Nam licet S. R. C. (2) disposerit, vespervas in concursu ss. martyrum 2 cl. cum virgine pariter 2 cl. integras deberi ss. martyribus: dicendum tamen non est, S. R. Congregationem per hoc particulare decretum alia abrogare voluisse, eo magis quod deinde eandem quæstionem in concursu duplicium majorum distulerit (3); ita ut, donec S. R. C. aliud declaret, juxta rubricas generales tit. XI, n. 2, non obstante tabella concurrentiæ, in paritate ritus et dignitatis seu solemnitate vespervæ sint dimidiandæ, sive officia sint duplicia minora sive majora, sive etiam 1 aut 2 classis. Dignitas enim personarum, ut dicitur in decreto 20 Jul. 1686, attendenda est in solis festis, quæ expressa sunt in rubrica tit. XI, n. 2 inter festa: adeoque de his solis festis intelligenda est regula 6 in tabella concurrentiæ, et quoad alia festa obtinet rubrica generalis tit. XI, n. 2, scilicet: *regulariter a capitulo fit de sequenti*. Dicitur *regulariter*, quia in propriis locis quandoque aliter disponitur, ut in tribus festis post nativitatem Domini et in die octava s. Joannis apostoli.

306. Quænam festa sanctorum dicenda sunt ita solemniter celebrari, ut in concursu aliorum integras vespervas habeant?

R. Quæ celebrantur cum magna solemnitate seu solemnitate pompa, comparative tamen ad ecclesias ditiores aut pauperiores, qualia sunt: 1^o quæ solemniter celebrantur a choro. et in populo sunt de præcepto (4). 2^o Festum s. Laurentii martyris, utpote particulari solemnitate in ecclesia universalis gaudens, habens vigiliam, octavam, etc. habet integras vespervas in concurrentia festi ejusdem ritus, nullam habentis solemnitate (5). 3^o Quæ quidem non sunt de præcepto in

(1) Rub. gen. hoc tit. XI, n. 2; dec. 17 Junii 1684, n. 2908-3057; 20 Jul. 1686, n. 2973-3122; 25 Sept. 1688, n. 3024-3173; Cuppinus de vesp. solemnibus n. 23.

(2) 19 Jan. 1743, n. 3987-4136, 2.

(3) 7 Ap. 1832, n. 4540-4689, 1.

(4) S. R. C. 22 Aug. 1744, n. 4011-4160, 2.

(5) S. R. C. 26 Jan. 1793, n. 4299-4448, 17.

populo, sed celebrantur cum festivo apparatu, concursu populi totius loci, solemnī processione (1) vel saltem cum solemnitate et populi concursu, aut magno apparatu et solemnitate (2). Hoc tamen intelligendum est : 1° de omnibus et solis ecclesiis, in quibus festum solemnī celebratur pompa, non autem de aliis, in quibus talem non habet solemnitatem (3), et 2° tantum de festis ejusdem ritus et dignitatis seu solemnitatis (4).

Ut autem vesperæ integræ dicantur de festo, non sufficit, quod sit de præcepto in populo (5); neque sufficit exigua solemnitas, quæ consistit in ordinario altaris apparatu, modico populi concursu, officii decantatione, indulgentia plenaria, aliisque id genus, sed magna vel saltem congruens requiritur solemnitas (6).

307. Quomodo ordinandæ sunt vesperæ, si dies octava in dominica privilegiata occurrat?

R. Si officium in sabbato de eadem octava fiat, vesperæ recitandæ sunt cum psalmis sabbati, et a capitulo de dominica privilegiata cum commemoratione diei octavæ ut in primis vesperis festi, omissis tamen suffragiis communibus in vesperis et laudibus, atque precibus ad completorium et primam propter octavam (7). Ratio est, quia officium diei septimæ infra octavam finitur post nonam. et dies octava, quæ sequente die non habet officium, nec primas potest habere vespas. Vid. n. 263, ubi habetur, quomodo in casu orationes ordinandæ sint, item vesperæ, si duplex aut semiduplex in sabbato occurrat. Aliud est, si dies infra octavam

(1) S. R. C. 20 Jul. 1686, n. 2973-3122, 1.

(2) S. R. C. 26 Jan. 1793, n. 4299-4448, 18, et 11 Ap. 1840, n. 4731-4878, 1.

(3) Dec. cit. 20 Jul. 1686.

(4) S. R. C. 22 Aug. 1744, n. cit.; 18 Dec. 1779, n. 4246-4395, 14; 16 Feb. 1781, n. 4252-4401, 17 et 18; Gavantus sect. 3, c. IX, n. 3; Cavalieri tom. 2, dec. 235, contra Merati sect. 3, c. 10, n. 13. 2 Julii 1893.

(5) S. R. C. 22 Sept. 1703, n. 3515-3664, 13, et 8 Ap. 1713, n. 3704-3853, 2; 2 Sept. 1741, n. 3970-4119, 3.

(6) Cavalieri loco cit. n. V.

(7) Gavantus sect. 3, c. 8, n. 13, juxta dec. S. R. C. 9 Nov. 1622.

in dominica privilegiata occurrat : tunc enim si in sabbato fiat de octava, vesperæ dicuntur de octava, et a capitulo de dominica cum commemoratione octavæ.

308. Quomodo vesperæ ordinandæ sunt, dum duo officia B. M. V. vel alia de eodem objecto simul concurrunt?

R. Si utrumque officium sit de B. M. V., vesperæ integræ fieri debent de alterutro sine commemoratione alterius (1) uti S. R. C. decrevit de festo s. nominis B. M. V. infra octavam nativitatis (2), de festo annuntiationis concurrente cum officio septem dolorum (3), de festis patrocini B. M. V. et expectationis partus (4) : si ritus sit diversus, vesperæ fiunt de illo, quod est majoris ritus; si sint ejusdem ritus et solemnitatis, integræ sunt de præcedente, de quo factum est officium, et nihil de sequente (5). Idem S. R. C. declaravit de octava Corporis Christi et festo ss. Cordis sub ritu dup. 1 cl., scilicet vespas integras esse recitandas de die octava sine commemoratione ss. Cordis (6); item si in die octava occurrat duplex 1 cl., in vesperis tantum fieri commemorationem diei octavæ, et non sequentis festi ss. Cordis (7). In Vesperis Fectorum Dominicæ Passionis infra quadragesimam concurrentium, nempe spineæ Coronæ, Lanceæ et Clavorum etc. non fit commemoratio Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, si de eo recitatum sit officium votivum ferea præcedenti (8). Ratio est, quia duplex commemoratio, vel officium simul et commemoratio de eodem objecto ex rubricarum præscripto fieri nequit : quæ ratio cum afficiat non tantum officia citata, sed omnia alia ejusdem rationis, idem de illis in concursu dicendum est, ut de festo s. Francisci et impressione stigmatum (9).

(1) Rub. brev. tit. VIII, n. 3.

(2) 23 Sept. 1684, n. 2920-3069.

(3) 2 Sept. 1741, n. 3970-4119, 10.

(4) 27 Mart. 1779, n. 4244-4393, 12.

(5) S. R. C. 27 Mart. 1779, n. cit.; 22 Jul. 1848, n. 4974-5135, 1; 16 Ap. 1853, n. 5183, II, 3.

(6) 17 Aug. 1771, n. 4208-4357, 3. 15 Nov. 1890, II.

(7) 27 Mart. 1824, n. 4454-4604, 2.

(8) S. R. C. 18 Julii 1884, n. 5914, III.

(9) Vid. Cavalieri tom. 2, cap. 32, dec. 1.